



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Variorum In Europa Itinerum Deliciæ**

**Chyträus, Nathan**

**[Herborn], 1599**

**VD16 C 2803**

Stetini.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70708](#)

*Pacis amans placida, bellorum damna cauebam,  
 Ornabas patriæ commoda justa tue.  
 Non impune tamen tibi quis quam bella tulisset,  
 Martia nec deerant viribus armata tuis.  
 Sed tibi digna magis res visa est parta tueri,  
 Quām temere externa quarere sortis opes.  
 Lege tua assidui coluerunt arva coloni,  
 Ut pars neglecti nulla vacaret agri.  
 Hinc quoq; justa tuos auxerunt commoda censu.  
 Nullaq; privatas vis tenuavit opes.  
 Ergo patrem Arcto & te gens desiderat ora,  
 Qua ditant Heneti Baltica stagna freti.  
 Cumq; Heneta luget fidus te gente Caycus,  
 Et cum Cassubio fortis ad arma Rugus.  
 Tu tamen ardenti Christum pietate professus  
 In calo eterna gaudia pacis agis.  
 Da Deus exemplum ut soboles generosa paternum  
 Impleat, & verbi nos rege luce tui.*

Decessit Wolgasti anno natalis Christi  
 M. D. I. x. die Februarii xiiii. etatis  
 suæ xlv. Joannes-Fridericus,  
 Bogislaus, Ernestus-Ludovicus,  
 Barnimus, Casimirus, fratres, Po-  
 meraniæ Duces, filii, patri dilectiss.  
 F. C.

## STETINI.

**A**nno 1551. die Junii xxix. mortuus est Petrus Eggestadius, qui cum Margarita Pielsia in conjugio vixit annos xlii. Quorum ita fuit adaucta proles, ut dicta jam Margarita mater fuerit liberorum viventium xii. a. via nepotum & neptium lxxxi. proavia pronepotum & proneptium xl. atq; ita oculis suis viderit ex se & liberis ac nepotibus suis natos cxxxii. Obiit tandem vi-  
 dua anno ætatis suæ lxxxvii.

D. O.

## D. O. M. S.

Hic situs est Bernardus Metellus, procul hinc ad lacum Brigantinum honesto loco natus, inq; Academia Tubingensi & alibi ita excultus, ut non solum Philosophiæ & Medicinæ Doctoris titulum, verum etiā paulo post apud opt. & illustriss. Pomeraniæ principem Philippum Architatri officium conquereretur. Quo ille totos xxxii. annos apud defuncti quoq; Ducis filios, in primisque Illustriss. Dn. Joan. Fridericum laudabiliter fungens, in Deum religiosè pius, in arte sua (quod alexipharmacum novo modo ab ipso confectum satis testatur) industrius & felix, deq; amicis plus sepe quam de seipso sollicitus, & ne in otio quidem fuit otiosus. vir aliâs in convictu jucundus, in negotio justus, in ædificiis magnificus, nec non  
veritatis amans. & simulationis dissimulationis-  
que osor acerrimus, rarumq; adeo antiquæ  
virtutis & fidei Helveticæ

## E X E M P L U M

Aliis magis quam sibi vixit annos x. pie Stetini obiit xxix. Augusti, Anno cīcī xci. Memoriæ mariti cariss. cum quo xxxvii. annos vixit sine querela, Susanna N. Augustana, vidua inter exteris mœstiss. multis cum lacrymis P.



## FRANCOFURTI AD VIADRUM.

## IN TEMPIO PAROCHIALI.

**H**ieronymus Schurffius J. U. D. decessit anno 1554.  
cum vixisset annos 73. & aliquot menses, & interpretatus esset leges annos 50.

## IN FRONTISPICIO DOMUS G. SABINI.

Parva quidem domus, sed in hac habitante Sabino  
Calliope seldem gaudet habere suam.

Ce iiiij